



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vlt. Beneficio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM VLT.

Beneficio.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia contra latam sententiam non appellauit, sed restitutionem in integrum petiuit, & repulsa est, iterum in alio iudicio restitui non debet, nisi ad petendam appellationem. Si tamen noua causa emergat, videl. nouæ defensiones ostendantur, tum simpliciter ei cognita causâ, restitutio concedi poterit. Habentur hæc in tribus ll. C. Si sæpius restitutio in integrum postuletur.

SUMMARIVM.

1. Sententia lata super restitutione in integrum transit in rem iudicatam, nisi intra decendium appellatum sit.
2. Vnde contra denegatam restitutionem Minor aut Ecclesia non restituitur, nisi ex noua emergente causa.
3. Qui de causa restitutionis contra omissam appellationem cognoscere debet, est non tantum iudex à quo, sed etiam iudex ad quem, si quidem is sit absolutè Superior, secus est, si sit tantum Superior posita appellatione.

NOTANDVM Vn. Sententia lata super restitutione in integrum transit in rem iudicatam, nisi intra decendium appellatum sit. Et merito hoc casu non auditur condemnatus, v. g. Minor, si petat restitutionem contra sententiam. Nam iudex iterum cognoscendo de eiusmodi causâ, in dubiū reuocaret, quæ antè ab ipso iudicata fuerunt. Quod fieri non debet, præterquam si noua causa restitutionis, vid. nouæ defensiones contra Aduersarium emergant. Exempla sunt: Si Minor, vel Ecclesia petens restitutionem in integrum propter non exhibita priuilegia succubuit, potest denuò petere, allegando præscriptionem, quam antea allegare intermiserat. Item, si Ecclesiæ, cum ob Procuratoris negligentiam in contracta vel iudicio damnnum passa esset, restitutio denegata fuit,

ed quòd à Procuratore dampni resarcionè recuperare possit, secundum ea, quæ ex multorum sententia dicta sunt in c. 2. hoc tit. Sed postea procurator reperitur, vel de nouo efficitur impar ad soluendum, restitutio ecclesiæ concedi debet: quia cum ea prius denegata fuerit veluti per accidens, quia à procuratore dampnum resarcire posse videbatur, hac autem causa, ac veluti obstaculo restitutionis remoto, manet integra causa, quæ perse est, restituendi ecclesiæ, videl. læsio enormis, alio remedio non emendabilis.

At verò restitutio causâ cognitâ concedenda est Ecclesiæ aut Minori, ed quòd non appellari. Quandoquidem hæc noua restituendi causa est, diuersa ab illâ, quæ antè diiudicata erat.

Sed quis Iudex de causa restitutionis contra omissam appellationem cognoscere debet. Respondet Bartolus in l. i. not. vlt. C. Si sæpius, Quòd non tantum Iudex à quo, sed etiam Iudex ad quem. Quòd verum est, si is sit absolutè Superior: secus, si sit tantum Superior, posita appellatione, vt Archiepiscopus comparatione subditorum Suffraganei sui. Talis enim adiri non potest, nisi ius appellandi competat. At verò post decendium à lata sententia ius appellandi non competit, nisi restitutio in integrum præcesserit, sicuti Abb. hic notat in fine c.

CAPITVLVM PRIMVM

cod. Tit. in 6.

Ecclesia.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia ex contractu, vel Iudicis sententia læsa sit, atque intra quadriennium petere restitutionem in integrum per negligentiam intermittat, postea ad beneficium restitutionis admitti non debet, nisi ostensum fuerit, præuarcatione, aut fraudem interuenisse; (quia videl. collatum fuit cum Prælato, seu administratore bonorum, vel is fraude circumuentus ne restitutionem peteret) aut si alia rationabilis